COR CONTRITUM ET HUMILIATUM DAVIDIS.

Arcis Grodnensis & Grodnensium Ducis Legionum Forti ANDREÆ EQUITIS MAZOVIÆ (2) armatura
Potentiq; Brachio.
a
superis veró despectum

Perillustri, Illustri Equestri Appollinea Iuventute Collegij Grodnensis Societátis IESU sub Izaikovianis (3) armis inter Passionis Dominicæ ferias contrito Auditori Intragicum deductum Aspectnm.

Anno Domini quem Illustrissimus Athænæi Grodnensis Fundator Præsul Smolenscensis in suo attulit nomine.

franCIsCUs DoľMat IzaIIkoVIUS antIstes.

EPITOME HISTORIOGRAPHI.

ZElo zelatus pro Domo DEI & sua Patria, Andreas Eques Mazovita, Davidem Gedimini M D L. affinē arcis Grodnensis & Grodnensiũ Ducē legionũ, nullo unqvã prælio victum Sanctæ Crucis Crucigerorumq; ac Mazovium Hostem insignem, solus (per speciem Socij Militis Litvanis se immiscens turmis) valido ictu confecit; ac è tumultantibus in se unum millibus hostium illæsus evasit mirâ DEI providentiâ. *P. Albert Koiałowicz S. IESU Hist: Lit: pte: 1. Lib: 7.*

PROLOGUS.

Cor meum conturbatum est in me, & formido mortis cecidit super me. Psal: 54.

PROTASIS.

Inductio 1. Andreas tristis amissis bonis & natis per Litvanos avectis cum Stoslao centum Mazovitis armato agere contra hostes intendit stratagematē, prætextuq; suppliciter repetendarum repetundarum alia explorationis causâ adit Davidem.

Inductio 2. Eunti occurrunt Filioli ex una parte Martimilius, ex altera Mariossavellus adrepit, uterq; triduana pressus fame: hos ultimo frustulo panis suæ servato fami, solatus Andreas deserit amore Christi, ac Patriæ; it in vias suas natis ignotas.

Inductio 3. Nati dolore planē exanimati ad proximam viæ Crucem se recipiunt, in vulneribus Salvatoris quæsituri Patrem, à quo datum panem Christo offeruut, pacem postulant, lachrimandoq; secus viam mendicos agunt.

CHORUS.

Prædam pollicetur Socijs, & oculi filiorum ejus deficient. Iob. 17.

EPITASIS.

Inductio 1. Andreas non nisi exarmatus admissus ad Davidem agit pro domo sua dumq; audacius perorát Davides capitur militari viri animo, explicata restitutionis impossibilitate invitat eum sub sua signa damna pensaturus stipendijs, renuente Andrea, & se contra DEVM & Patriam, cum Ethnicis pugnare stabiliter detestante, Dauides commendat eum primis quatuor Chiliarchis in suas partes trahendum, valiturumq; Heroem Mazovium si non contra Mazovitas certè contra Russos & alios Litvaniæ hostes.

Inductio 2. Postremus Chiliarcharum Sukimedaras qui nec illos tres ferre poterat multò magis exterum Mazovium ringitur ad hæc, in tra se Andream statuens circumvenire laudationum, adulationum, calumniarumq; cuniculis utitur singulis Chiliarchis ad singula. Viltavilidem clam abductum petit, ut laudibus prosequens Andream ad Chiliarchæ honorem promoveat, finem sibi reservans; quod secuto promotionis effectu â Militibus Litvanis impatientibus regiminis Mazovitici possit tolli Andreas. Soli Łankomegostamæ svadet, ut evincat apud Davidem transmissionem Andreæ in Litvaniam, procul dubio placiturum Gedimino Mazovium intra se certus facilimè ibi incarcerandum. Ab metuotinidi verò privatim

Jest Doby

ſuſpitionem movet, nonne Andreas Mazoviticus explorator? curans ſic per Abmetuotinidem odioſum reddendum Andream Davidi, quod ſi hæc non ſuccedant ſaltem odioſos reddendos Duci Chiliarchas diſcordantes de Andrea, Sukimedara interim optimè in turbido piſcaturô ſecundos à Duce honores.

[Ind]uctio 3. Sukimedaras ſvadet Davidi faciendum conſilium bellicum de proſequendis continuò Mazovitis, ne hoſtis reſpirium habeat ad vires colligendas revera autem intendens ſuarum machinationum eventum mittitur Citoëykius ad convocandos Chiliarchas.

CHORUS.

Stupebunt Juſti ſupra hoc & innocens contra Hipocritam ſuſcitabitur Iob 17.

ANTITHESIS.

[Ind]uctio 1. Andreas in conſiiio bellico Davidis pro prima occurit quæſtione, ſed ſciſſis ad mentem Sukimedaræ ſentimentis, jam ad necem, jam ad honores de cernitur; Sukimedarâ ad placitum Ducis ſvadente liberè mittendum Andream qui libere ſupplex venit ne Litvani tyrannidis in Mazovitas arguantur & (ſi qvæ hac in parte de illis ſerpſit infamia) per Andream honorificè remiſſum facilè eſt reſtauranda.

Inductio 2. In conſilio dictum factum Andreæ muneribus onuſto liber egreſſus permittitur reddita extra caſtra arma læto ex lite Chiliarcharum Sukimedara.

Inductio 3. Singuli Chiliarchæ ſigillatim adeunt Sukimedaram quiſq; quærit de aliter ſibi dato conſilio & alio ſenſu Sukimedaræ coram Duce, politicis ab eo ſinguli eluſi rationibus manente apud quemq; ſuſpicione, dedi qvo hic dolo.

CHORUS.

Et tenebit Juſtus viam ſuam & manibus mundis addet fortitudinem. Iob 17.

CATASTASIS.

Inductio 1. Andream redeuntem Stoſlaus cum Compatriotis non ſuſcipit metu fraudis ex ſuſpicione acceptorum a Litvanis munerum agit cum ſuis de illo occidendo.

Inductio 2. Mazovitæ diſvadent Stoſlao occiſionem Andreæ metu Litvanorum magis hinc irritandorum, quibus ſpontaneam deditionem ſui parabant. & ad hoc in extremis periculis facilè poſſent uti Andrea Litvanis familiari

Inductio 3. Andreas videns compatriotas uti & Litvanos ſibi non confidere, & tantum officioſè ſe ab illis eludi, ad collaterales latebras ſe recipit in vigilaturus pugnæ cum propoſito agendi in Ethnicos pro fide, & ad demonſtrandam fidelitatem erga ſuos; vix a Stoſlao pedem effert captivi duo adducuntur Litvani, quorum unus Græytefugius è manibus evadit.

CHORUS.

In propria venit ſui eum non receperunt Ioan 1.

CATASTROPHE.

Inductio 1. Andreas in ſuſpicione apud Davidem, ad relationem Græytefugij inter Mazovitas eum viſum à ſe narrantis conſternatio in exercitu, Davides cum Chiliarchis omnia devolvit in Sukimedarum ſvaſorem, dumq; Chiliarchæ ſeorſim ab eo accepta conſilia propalam combinant, traditur cuſtodiæ Sukimedaras diſcordiarum Author.

Inductio 2. Davides ipſe aciem educit contra Mazovitas, Mazovitæ ſuſpicati contra ſe ab Andrea non acceptato evocatum hoſtem, deſperabundi per extrema euntes claſſicum intonant, Andreas e latebra in veſtitu Litvano per ſpeciem Socij militis hoſtibus ſe immiſcet ad Davidem penetrat, eumq; valido ictu ad cor in formam Crucis S. Andreæ dato proſternit, conſternantur Chiliarchæ, capiendum in clamant? ignorantibus Militibus quis ſit? capiendus Andreas obvium fugientem è carcere Sukimedaram indigitat, occiditur Sukimedaras, ſed agnoſcentibus Chiliarchis non hic eſſe Andreas: novus iterum tumultus; Mazovitæ hactenus admiratione detenti irruunt Litvanos diſſipant, repertoq; inter cæcos Greytefugio ſuperſtite informantur de Andreæ facinore.

Inductio 3. Andreas repertus a Compatriotis ſalutatuſq; vadit turmatim ad Crucifixum ſecus viam Chriſto acturus grates pro victoria; filij fugiunt ab Andrea & Cruce cernentes Patrem in veſtitu Ethnico Ethnicumq; factum ſupponentes, nec redeunt donec reiecta veſtitûs larvâ Andreas in amplexu Crucis clauderet tragædiam.

EPILOGUS.

Crux Chriſti & noſtra ſumma gloria eſt.

Ad

Majorem DEI Hominis Patientis Gloriam ac Compaſſionem.